

Dissertatio inauguralis de morbis tartareis ... / [Johann Ludwig Müller].

Contributors

Müller, Johann Ludwig, 1669-
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Krebsianis, [1695]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dvn9zzqz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

B. C. D.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
 DE
 MORBIS TARTAREIS,

Quam
 CONSENSV ET AVTORITATE

Iulstris & Gratosissimæ Facultatis Medicæ

In Alma Salana,

P R A E S I D E

GEORGIO WOLFF.
 GANGO WEDELIO,

Med. Doctore, Comite Palatino Cæsareo,

Confiliario & Archiatro Ducali Saxonico, Theoretices Professore
 Ordinario, h. t. Facultatis Medicæ Decano,

MTRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE OMNI OBSERVANTIA
 CVLTV SVMME DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica Honores, Insignia atque Privilegia Docto-
 ralia, MORE MAJOVM, legitime consequendi,

Publicè Eruditorum disquisitioni subjicit

IOHANN. LUDOVICVS Müller/

Northusanus

IN AUDITORIO MAJORI,

ad Diem Julii M DC XCV.

Horis ante- & pomeridianis consuetis.

J E N A
 LITTERIS KREBSIANIS

VIRO
MAGNIFICO atq; EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
PETRO MÜLLERO, JC^{TO}

ANTEHAC

CONSILIARIO SAXONICO, IN ALMA SALA-
NA JVRIS PVBLICI, FEVDALIVM, CODICIS AC NOVEL-
LARVM CONSTITUTIONVM PROFESSORI PVBLICO, GV-
RIÆ PROVINCIALIS, SCABINATVS AC JVRIDICÆ
FACVLTATIS ASSESSORI, HVJVSQVE SENIORI,

Nanc

CANCELLARIO RVTHENICO, CONSISTORII QVOD GERA-
EST PRÆIDI, AC GYMNASII INSPECTORI VNDIQVA-
QVE BENE MERENTISSIMO,

PARENTI MEO POST DEVUM SANCTE COLENDO.

Dissertationem hanc Inauguralem demisse offero.

Ejus

Obedientissimus Filius

JOHANNES LUDOVICVS Müller



PROOEMIVM.

 *Ἄνθρωπος ἐν γενετῆς υἱός θεῖος, i.e. Totus homo ab ipso ortu morbus est. Gravis hæc est sententia Democriti, qua utitur in colloquio cum summo dictatore Hippocrate.*

Contraria hæc sensibus rationique videntur, cum constet sanos esse, quibus cum conversamur, qui actiones suas perfecte & cum robore exercere possunt, valetudine insuper utuntur integra, nulla imbecillitas, nullus dolor, nulla lassitudo fatigat corpus, omnia sana.

Sed ad intimiora oculis mentis si penetramus, assensum largiri cogimur Democrito; longe alia hic est facies, materia morbi vndique se exerit, morbumque in proprio sinu quilibet fovet mortarium, latet anguis in herba, sive rubet facies, bene ingerit, bene digerit, viscera omnia recte se habent, & tamen æmulatur rubens pomum, quod intus vermem alit, qui ipsum depascit.

Exempla si depositimus, morbi Tartarei uberrime illa præbent, morbi, qui teneræ infantum ætati insidias struunt, adultiorem aperto aggrediuntur Marte, bellumque indicentes inevitabile nec senio parcent, debile illud debilius & infirmius reddentes. Totus homo ab ipso ortu morbus est.

Selegimus gravem hanc materiam speciminis INAV.

GRALIS loco, summum implorantes Numen, ut benedictione ex alto nostris subveniat ausibus, quo omnia feliciter in sui Nominis gloriam, proximique salutem eveniant!

CAPVT I.

De

Morborum Tartareorum Existencia, Natura & Effectibus.

VT in omnibus aliis thematibus omnium primo disquirendum est de τῷ ὄντι, an & quod sit, prius, quam de τῷ διόπτρᾳ, unde & quale sit, disquiramus; ita longe maxime id valet in recensione morborum Tartareorum.

Nulla videtur horum mentio fieri apud Veteres, sollicitos nihilo minus naturæ raspatores. Soli Chimici, praetente eorum antesignano *Theophrasto Paracelso*, hos fere nominant, Crepantque, quorum principia nec omnibus arribent, nec ubique cum rebus concordant. Obscurarunt potius (ita contra eos fert adversantium adsertio,) quam illustrarunt rem ipsam, dubium, an ipsi intelligant, quod tam horrendis & inauditis nominibus insighivere.

Quid quod ipse *Helmontius*, nostro seculo idem aggressus, quod superiori *Paracelsus*, reformationem artis Medicæ puta, plane discors est. Et tantum abest, ut sequatur illius vestigia, ut potius ex professo, qui primus Tartarum in morbum introduxit, refutandum sibi sumserit. Hinc post, quam *Tartari* historiam præmiserat *Operum p. m. 186.* in breve synæma contrahens e *Paracelsi* libris de morbis Tartareis hypothesin, inventionem tartari in morbis temerariam, alimenta tartari insontia, tartarum non in potu, totidem tractatulis evincere contendit.

Res eo credit, non esse tartarum morborum occasionalem materiam internam, non inesse naturaliter, non nisi abusive

&

& per metaphoram dici tartarum, qui metaphoricus sensus
a naturalium historia semper exultare debeat, laudandis po-
tius seminum destinationibus & cuncta potius ex agentibus
seminalibus oriri, materias sibi substratas traduentibus;
sique cibi non in bonum cruentum mutentur, id digestio-
nis vitio, non autem alicujus tartari ergo evenire, adeoque
nihil novi addidisse Paracelsum, praeter nomen tartari.

Quicquid vero horum sit, in primis non esse virginis naturæ inspersum tartarum, nec totam quasi naturam esse tartarum ad introducendam morborum causam, ut id largiamur *Helmontio*, laxius paulo evagante hypothesi; non posse tamen negari vel tartarum, vel inde oriundos morbos tartareos, res ipsa loquitur, nec antiquis intacta, nec negare viso *Helmontio* neganda, quocunque demum modo illum accepit, utpote qui alibi eandem sententiam suam facit.

Instar omnium sit locus ex paradoxo. quinto de fontibus Spadaniis, ubi §. 2. p. 553. omnibus prorsum morbis epotas Spadanas convenire scribit, qui ex hoste tartaro, praeter naturam intus recepto & coagulato, conscidunt. Qvo ipso satis mentem explicat, & quo sensu negaverit tartarum omnium morborum causam naturalem.

Quod igitur veterum attinet scrinia, non obstat, si vel
maxime nesciverint vel non attigerint morbos tartareos,
cum quilibet scriptores ex suo seculo sint judicandi, neque
omnia levisse antiquos ratum sit, suis etiam inventis nostris
seculis relictis. Ast si loculos excutiamus illorum, invenias
& inibi antiquam sapientiam.

¶ inibi antiquam iacentiam.
Enimvero quod divinus Senex, fons omnis medicinæ, τὸ
παχύτατον, ἡ δολιοδέστατον, et assissimum & turbidissimum vocat, l. de
aer. aqu. & loc. c. 23. t. 1. & 9. item σαθυρόδεστατον, ponderosissimum
ibidem c. 20. t. 3. Βαρύτατον, gravissimum, r. s. circa materiam qui-
dem calculi, morbi tartarei famosi, id ipsum hoc tartareum
severa est; id quod ἐκσηρέθανται ξυμπήγνυθαι, coacervari &
concrescere scribit; primum quidem parum, deinde magis
magis.

magisque. Idem rem acutangit, cum l. de intern. affect. c. 50. Ταχέα καλύπτει την πάθηση, morbos crassos appellatos describit, ubi clarissime depingit tartareum morbum, & clarus mentem exponens paulo inferius, σπέις ταχὺ, inquit, mingit crassum, quod quippe morbi causa erat in colica, quam intelligit, scorbutica.

Hæc ut instar omnium sunt, ita non minus concinit experientia & ratio. Dantur morbi, ybi in sensus occurrit salino-terreum principium, quod in sequentibus libabimus, effectus vero testatur de sua causa. Quis non novit calculos, non dicam renum & vesicæ, sed in toto corpore, & tantum non omnibus ejusdem partibus repertos, notatos a Sennero in Institut. & aliis? Quis nescit podagram nodosam, exempta calce cretacea, parietibus illinenda? ne alia hic laudemus. Sufficit naturæ & mechanicæ Paracelsum conformiter circa hos morbos philosophatum esse.

Id ut pateat magis, nec Nomen abludit, barbarum prima fronte visum. Non diffitemur, esse id æquivocum. Juxta Hesychium, Etymologicum magnum, & Scholiajen Aristophanis, Τάρταρος οντωτης, vel κατωτάρταρος, τὸ ἀδειότωτος, Tartarus inferorum sedes ista est, a τείχῳ affligo, vel τηγῷ in carcere custodio, juxta alios a Τάρταρω coneturbo, vel διτὸς Τάρταρος, a tremore frigoris.

Veteres, in primis Poetæ, rem terribilem & horridam desribentes, vocabulo utebantur tartari. Sic Virgilius l. 7, Aeneid.

cornuque recurvo

Tartaream intendit vocem.

& Varro l. 6. de lingua Latina, p. 72. ex vetusto quodam Poeta versiculum allegat:

Corpo Tartarino prognata paluda virago;
ubi Tartaro originem Græcam asserit, & unum e fluminibus,
quæ sint apud inferos ex Platone.

In hac significatione pluribus inclauit seculis, nec apud autores classicos invenias aliter summum, imo & Medicorum anti-

antiquorum scrinia plane libera reliquit, ut videri possit Paracelsus autor nominis, qui, ut multa alia, ita & Tartarum in scholas medicas introduxerit, nec enim quisquam medicorum ante ejus etatem hoc vocabulo usus facile legitur.

Ast ut ipse non est primus Chimæ inventor vel autor, sed pluribus ante eum seculis antiquissima hæc ars inclavit; ita non minus certum, quod ante Paracelsum tartarus fuerit in usu chimico, & hoc ipso nomine. Ne laudemus alia argumenta, cum primis Basili Valentini loca, ubi mentionem hujus facit, est apud D. Presidem MSS. Chemicum anno 1466. exaratum, ubi nomen hoc occurrit & legi potest. Liberum vero ipsi fuit a mechanica hac tartari vini & agnoscere tartarum morbosum in corpore humano.

Intelligit autem per Tartarum quemcunq; succum & magma in fundo stabulans, desumpta metaphora à partibus terrestribus salinis vini, quæ sensim ad latera dolii secedunt & in lapidosam substantiam concrescent, ad ejus instar viscositates, limositates & impura sedimenta comprehendens. Ulterius quoque progressum faciens, & pro ratione trium suorum principiorum morbos distinguens, in sulphureos, salinos, & mercuriales, tartareos adjecit, rationem quoque, quare ita nominaverit, reddit L. i. de Tartaro c. i. quia in corpos humano tale quid tartaro simile reperiatur.

Frustra hinc est Renodæus in *Dissens. Medic.* p. 509. Tartarum ideo nominari forsitan putans, quod multorum empirorum sit idolum, ut *Tartac* olim fuit Hevæorum 2. Reg. c. 17. v. 31. Sed ipse statim sententiam mutat, & dicit, magis, quod infimum vasis locum obtineat, dici. Rectius paulo Kozack disc. *Phys. tr. 3. §. 11. p. 37.* est impuritas crassa, inquit, per separationem ex alimentis separata, sulphur fetidum & sal stypticum in se habens.

At tartari ergo vini, (corticem vasculi vetustissimi vini vocat Cœlius Aurelianus 1. 2. tard. pass. c. 13. p. 373.) ab aliis sub sece vini comprehensi, mechanica, & tartarus hic & morbi-

tartarei nomen indepti sunt, uti & obstrunctiones, caries, erosio, intemperies ipsa, & plura alia ab eadem denominata furent. Neque de hoc tartaro seu terreo exuperante salino inquinante morbifico dubitare sinit mechanica. Ut terra aquam in se habet, dicente *Coel. de nat. puer. c. 29. t. 3. § 9.* ita & aqua terram resolutam, teste evaporatione & aliis experimentis.

Vti vero & sub nomine arenæ, sabuli, calculi & lapidis latiori paulo significatu alias quoque notus est; ita tacemus nominacetera, quibus *Paracelsus* tartarum distinguit, ex quibus tamen nomen Duelech emicat, & præ aliis receptum est quoque. Germanis *Griess*, *Griessfrancheitens* dici possunt.

Egregium tale specimen tartarez concretionis exhibet ad oculum fons unus & alter non procul ab hac urbe, ubi muscum terrestrem videre licet, qui non solum tali materia lenta & terrea obsitus conspicitur, verum etiam totus consumitur, & in lapidibus concretis sui figuram ramosam & foliosam relinquit ac exhibet. Uti celebris etiam alter fons, *Principum* dictus, tale quid spectandum præbet, quamvis materia ibi magis lapidibus & lignis adhæreat, quam tota immutet. Imo & in fluviis & fontibus limus se parietibus lapidum agglutinat, in tubulis item aquæ ductuum apponitur, id quod etiam in corpore nostro evenire non inepte concipitur.

Longe magis verum est, salia in aquis soluta & fluida terram in gremio suo fovere, facile hinc separabilem, exemplo vitrioli soluti, sulphuris antimonii soluti, butyri antimonii, solutionis magisteriorum &c. Idem vero in corpore obtinet quoque, vel solius urinæ exemplo, omnibus notissimo & obvio. Inducit hæc corticem matulæ, vitro, vel unicuique alteri vasi, & ad oculum sistit tartarum separatum extra corpus. Talis verò sine dubio quoad omnia sua elementa in corpore & datur, & morbos tartareos dictos causare potest.

Liceat hinc generalem proposituris morborum tartarorum

reorum DEFINITIONEM sequentem dare: Morbi tartarei sunt affectus, salium terreorum seu cœnosorum prædominio præternaturali debiti, sub statu fluido & coagulabili, hinc inde, in toto corpore vel certa parte, variis conformibus phæno- menis se exerentes.

GENERIS loco ponimus affectum, commune morbis & symptomatibus nomen, ut sic exprimamus indefinite productum morbosum a causa convenienti hac exortum. Vti enim morbi hæreditarii, contagiosi, flatulenti aliique con junctim tractari & sub conceptum vocari queunt; ita idem h. l. merentur tartarei.

DIFFERENTIAM SPECIFICAM dicunt verba reliqua. Formam enim & essentiam his affectibus largiuntur salia saturata, impura, cœnosa. Dicunt hæc velut modum salis, ut non pro novo principio æque & seorsim habendus sit tartarus, sed ad salinum referri possit, tanquam activum, cui passivum est immersum & sociatum. Et hoc sensu intelligendus Diemer brackius in *Anatom.* p. 418. f. ubi de particulis sanguinem constituentibus erudite differit, & ad terreas digrediens, sunt, inquit, qui his principiis etiam terram annumerant, verum cum illa nihil aliud sit, quam salis crassi, maximeque crudi ac ægre dissolubilis residuum, pro peculiari principio habenda non videtur.

Constat enim tartarus particulis terreis, quas excrementias. & a natura separatas in statu etiam secundum natum cum Chemicorum capite mortuo & terra damnata comparare integrum est; hæc vero omnium Physicorum suffragiis ad quietem & coagulationem aptissima.

Constat salinis, acuminatis, rigidis, bispidis, tum acidis, tum alcalinis, tum mediis, quæ omnia mechanica tartari ad oculum eluent: modo salinis, modo terreis eminentibus magis, & morbos parentibus. Dum vero cœnosas dicimus, una sulphureas, lertas, viscidas, coagulabiles, plicatiles utrisque junctas innuimus, non exclusis ubivis aqueis, vehiculum singulorum constituantibus.

Adeoque & resolubilis est, non minus ac vini tartarus, non ideo quod sal sit hoc vini, sed quia sal secum habet partes terreas coalitas, quas caloris accedente fervore cogit in pores suos concedere & solvi, a solutione tamen frigoris occursu iterum coagulationem prompte subit.

Hinc & in corpore duplicem statum fere subeunt, resolutionis & coagulationis. Illum quidem, quando lympha suppetit, & in fluoris tenore salia detinent partes terreas, in elementis vitalibus fluitantes, & ipsas tamen morbificas, in motu hoc suo peregrinum non raro motum inferentes. Hunc vero quando quietem subeunt magis, sua natura ad motum tardiores terreæ, & affigunt se hic illic ac compinguntur.

Ita enim effectus causant & post se relinquunt varios morbos tartareos uno verbo. Enimvero tartarus hic morbosus gravat archeum, massam sanguineam, & seorsim lympham conspurcat, obstrunctiones causat, quatenus sanguinis limus seu tartarus, præcipue ab acido coagulatus, parvibus vasorum se affigere novit, motumque impedit, eadem angustando. Producit tumores, puta congestione & infarctu diducto. Citat dolores, ob spicula salina fibris nerveis immissa. Hinc arthritis, podagra, affectus ischiadicus, hinc dolores mesenterii seu colica scorbutica, hinc scirri lienis, hinc ieterus, scorbutus, febres scorbuticas, tertianæ & quartanæ in primis, hinc strumæ, ganglia, nodi & centena alia.

CAPVT II.

De

Morborum Tartareorum causis & phænomenis.

In rimandis CAVSIS morborum tartareorum vix possumus feliciter eniti, nisi principia chimica admittamus, & natu-

ram

ram optimam Chimistam admireremur. Hæc enim ex assumtis cibo & potu resolvit principia, unde salia emergunt, ipsi arti inimitabili artificio, acidum & alcali, volatile præcipue exuperans in sanguine; emergit sulphur alibile, in chilo albore oleoso, in sanguine & carnibus purpurea tinctura superbiens; resultant spiritus, subtile, elastici, vitales, animales. Visitur vero & phlegma inutile, & terra in recrementis & alimentis superflua.

CAUSA ergo IMMEDIATA tartari morbosí, & consequenter morborum inde consurgentium, est *διάχωγος*, seu *διάχωγοις* salinarum terrearum particularum inæqualis, cum eminentia & prædominio. Posita enim hac separatione tartari morbosí, cum dicta conditione, ponitur morbus tartareus, hic ille, in diversis subjectis, diverso effectu emergente. Siquidem sic archei æquabile imperium excutitur, exurgunt remoræ, enascuntur spinæ, eveniunt coagula & ærumna variz ab alterato hoc humorum vitalium statu.

CAVSÆ MEDIATÆ titulum subeunt, quæcunque materia hujus morbosæ proventum, eminentiam, activitatem, collectionem, *όργασμὸν*, stimulum causare & inducere apta nata sunt, seu proximius seu remotius. Proximius id præstant viscera, depurationi sanguinis inservientia, imo adæquate quæcunque cribra & colatoria, velificantibus variis aliis concurrentibus, tum a facultate lœsa, ut vocant, seu archeo ipso, tum ab errore externo, seu ratione archei per se, & ratione objecti.

Læditur facultas a morbis variis, nominatim intemperie, tam frigida, quam calida, & obstructionibus, qui duo, si vel soli nominentur, jam sufficere possunt. Si calor partium exceedat, intimius salia acuuntur, vt tenacius abripiant & solvant particulas terreas, deficiente in primis humido diluente. Elegans hinc Hippocrati adscribitur sententia a Galeno lib. περὶ οὐαρασμῶν, c. 3. Calor interficit nos, qui corpora produxit. Sin deficiat, hebetes & inertes jacent partes transpira-

tioni inservientes, torpor inducit corpori, fuligines cumulantur, obstruuntur & obducuntur facile v. g. oscula vasorum lacteorum, vel debilitantur saltim, ut transcolari chylus minus possit, & quod primarium est, coctio impeditur, chylus redditur crudus, sanguisque & serum particulis conspurcantur heterogeneis inimicis.

Vtroque modo tonus partium & elater fibrarum lreditur, unde promoventur coagula. Sic nec a calore quidem, nec a frigore generantur calculi, utraque tamen *anguria* in renibus ad eorundem generationem facit. Liceat verba laudare D. Jacobai compend. instit. med. c. 3. §. ii. ubi calculos generari scribit ex partibus liquoris ad motum tardioribus, dum fluidum subtilius avolat, eo fere modo, quo dentibus tartarus accrescit, amittente sensim partes fluidiores saliva, simul cum reliquiis ciborum. Ita spiritibus subtilioribus exhalantibus concrevit fex vini seu tartarus, & lateribus vasis agglutinatur. Hinc focum agnoscunt in culinis viscerum, nominatim ventriculum, intestina, mesenterium, pancreas, ceteraque partes naturales, primæ & secundæ coctioni famulantes, primas vias potissimum & infimum ventrem.

Cum enim archeus & fermentum ventriculi a nativa & corpori conveniente temperatura deflectunt, saliumque volatilium blandorum a fixioribus & feculentis secretionem non rite apparant, ubivis in corpore locorum facilis est mucilaginis tartarea stagnatio & coagulatio. Idem etiam in reliquis visceribus depuratoriis procedit, pulmonibus, hepate, cystide fellea, liene &c. Heic humores crassi, feculenti, viscidi, glutinosi accendentibus salinis acidis particulis, modo fusionem, modo coagulationem promovent, id quod tamen non in instanti, sed successive procedit. Hinc jure meritoque morbos ex tartaro productos inter chronicos magis referimus.

Fit hinc μόλυνσις quædam, deficit πνευματωσις, saliaque fixæ tartarea superantia totam massam cogunt, quæ ceu gra-

ve pondus, cum minus moveri queat, in corpore commo-
tur, obstructiones auget, accendentibus dehinc aliis cruditati-
bus pravam ac peculiarem acquirunt corruptionem, & inter
alia, vt loquamur cum Rofsin. in Ord. & Metb. commentat. p. 69. tar-
tarus a spiritu salis coagulatus in variis membris & articulis
concrescit.

Imo vt hæc porro delibemus, non solum ab intemperie
hac desciscit fluidorum $\pi\epsilon\gamma\sigma\tau\varsigma$, & loco chyli, sanguinis, lym-
phæ, dulcis & blande alibilis, humor fit acetosus, grossior, ter-
restrior; verum & ipsæ obstructions viscerū proventum tar-
tari accumulant causantque. Quid enim aliud sunt obstruc-
tiones, quam pori viscerum & cribrorū minus patuli, quam mu-
cilago tartarea se insinuans, quam fluidorū crassities & mobi-
litas, circulus si non in vasis, tamen in poris minus integer.
Sane tartarus & causat obstructions, velut solennior causa,
& ab iisdem foveatur, tenuiore humore dimisso, crassiore
sensim restitante & morante.

Vappescit inde lympha facile, putriginem, ichorescen-
tiam, actimoniam concipit, glandulæ separatoriæ in munere
suo cessant, ex conglomeratis fiunt conglobatae, intume-
scunt, indurescunt, & symbolismo quodam singulati hæc in-
vicem omnia sibi respondent, vt obstructa & infarcta vna,
mox altera & alibi locorum, vel communis vel laterali consen-
sione, simili affectu corripiatur.

Hinc cum glandulæ cribra propria sint humoris, a flu-
ido interno secernendi vel secreti, omnino necessarium est,
& illuc vitium pertingere faburramque ibi colligi, quæ post-
modum transcolationem vitiat, & varios effectus producit.

Idem dixero de cavitatibus per totum corpus reperibili-
bus, sive sint majores, vt in vesica, in ventriculo; sive me-
dix & minores, vt meatus, ductus, canales, & hinc diverso
visci specifici inservientes, v. g. intestina, pelvis renum, vre-
teres, urethra, venæ & arteriæ, ductus salivales &c. sive mi-

nimꝝ, quibus glandulas dictas & poros cutis annumeramus. Hꝝ omnes impotentiaꝝ illius sunt receptivꝝ, quatenus majores colligunt morbosam saburram, ductus vehunt, & pori transmittunt, vbi vis concurrentibus glandulis laudatis, his omnibus inextricabili nexu conjunctis.

Tacemus articulos ipsos extremorum, vt in arthritide id occurrit toto die. Imo non solum fibris, membranis, meningibus hanc labem affricat tartarus hic morbosus; verum & ipsis ossibus, vt in nodis & gummatis venereis videre est. Sic toto die dentibus adhærescere sentimus mucum, qui nisi continuo auferatur, præter fœtidum oderem, gingivarum solvit compages. Talem mucum D. Proses vidit in aurifabro, cui tantus succreverat tartarus in dentibus, vt duplicati quasi esse apparerent. Quin & lac mu liebre, vbi non emulgetur, in mammis coagulari, & tartarum generari asserit Levin. Lemnius l. 4. de occult. nat. mirac. c. 12. Visi sunt menses arenosi jamdudum Hippocrati, semen arenosum B. Job. Theodor. Schenckio nostro Exerc. anat. §. c. 35. ne de sudore, bile granulata & aliis dicamus latius.

Laudari vero merentur & fermenta peregrina inde enata & seminalia, tartarum specificantia, quod in febribus, ictero ipso, ad oculum patet, exerente se satis superque in urina saburra tartarea. Ita enim a miasmate tali acido biliofo tar tareo inquinantur subinde assumta, vt in similem corruptelam abeant prompte. Valet id de glandulis fermentorum fabris primariis, & de aliis partibus corporis.

Generatur, inquit Kozack loc. cit. in omnibus & singulis partibus corporis, in digitis & eorum articulis, & que ac in stomacho, intestinis, jecore, venis & arteriis. Omne enim membrum, juxta Crollum, habet suam digestionem & separationem in se propriam, suum item emunctorium & excrementum; ubi plura habet egregia huc referenda.

Sortitur vero tartarus vim suam morbificam & in actum ducatur, quando accedit copia, vnde gravata natura vel

per

per peruanos & velut criticum propulsat eum ad articulos v.g. in arthritide, vel per ouardios & cogitur in calculos & fabulum. Illud confertim & cum impetu, hoc lente magis & successive, accedente pluta qualitate peregrina, indeque motu, illuc vitio translato, ubi positi patentiores, fibræ laxiores, pars uno verbo debilior, motu excedente & deficiente, unde extravasatur, & in effectus morbosos alios cedit, in calculos densatur.

Hæc ut proximiū conferunt ad morborum tartareorum hæreditati, ita & ex REMOTIORVM CAVSARVM loculis obstetricantur non paucæ, quæ & modificant & actuant tartaream hanc sobolem. Ita TEMPERAMENTVM non unum disponit ad morbos tartareos, phlegmaticum lentore mucilagineo, cui facile junguntur arenulæ, cholericum lymphæ insufficientia, melancholicum acore fixante terreo. Utque hæc valent de temperamento totius, ita & speciale seu particulare eosdem invitat, si v.g. renes & pænia laborent, si hepatis, lien, ventriculus in primis, & alia visceræ. Valet idem quoque de temperamento non tam nativo, quam ascititio, de tono suo dejectis visceribus variis diæta erroribus, aliisque injuriis externis.

DISPOSITIO HÆREDITARIA morbos tartareos invitat quoque, unde fere tales sunt cum hæreditariis communes. Hinc non inconcinne de his *Baptista Mantuanus* canit:

*Qui viret in foliis venit e radicibus humor;
Sic patrum in natos abeunt cum semine morbi.*

Sic morbos videmus gentilitios, totisq; familiis peculiares quasi & proprios, arthriticos ex arthriticis, phthisicos ex phthisicis nasci, epilepticos ab epilepticis, quatenus seminali contagio lymphæ vitium ideale secundarium affricatur & imprimitur, quæ humoribus impressa qualitas modo citius modotardius se exerete, geniumque suum referre & tartareum spargere principium observatur.

Nec

Nec **ÆTATES** abludunt. Ut enim, juxta 4. apb. 30. ob blandiorem & temperatiorem lympham pueri non solum laborent podagra ante pubertatem, videoas tamen & hos arthriticos aliquando; imo vix recens nati infantes & fabulum arenosum emitunt cum urina, & calculum experiuntur vita insidias struentem. Adeoque nulla artas de απλειας seu immunitatis privilegio gratulari sibi potest, licet alia magis, alia minus hisce sit obnoxia. Maxime vero senilis, quatenus calor decrescit, humidum vero blandum, dulce, alibile in statum contrarium abit, vappescentem, acetosum, tartareum.

SEXVS quoque suo modo illustrat morborum tartareorum genesis, vel solo menstruæ evacuationis exemplo. Hac enim bene habente nec calculosa, nec arthritica symptomata facile exercent sequiorem sexum, præterquam ubi insignior copia depleri hac via renuit. Accedit in eodem texturæ teneritas & habitus corporis. Quantum vero in iisdem tenuitas morbos hos invitat, tantum in viris temeritas & quodvis audendi vel licentiosius vivendi mos præstat.

Amplum ulterius dominium est, quod exercent in corpus **SEX RES NONNATVRALES**, adeo quidem ut ab ipsis fere tota dispensari videatur sanitas. Inter has primum locum sibi vendicat **AER**, docente enim Hippocrate 3. apb. 1. mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in ipsis temporibus magnæ mutationes frigoris & caloris. Aer maxime frigidus, humidus, densus, palustris favet morbis tartareis, & quo magis effluvijs gaudet humidis, paludosis, falsis, eo magis est insalubris. Pori hinc corporis pro diversitate subjectorum obstruuntur ab humiditate illa austrina, cumulantur recrementa uvida, & ad miasmata concipienda magis aptatur sanguis. De hoc Cons 3. apb. 5. ait: aquilo frigidum reddit aërem & siccum, tusses movet, fauces exasperat, alvum indurat, urinam supprimit, horrores excitat, lateris & pectoris dolores facit. Hinc accolas maris Balthici & Germanici & ob crassiores illum aeris statum magis infestatos

statos videoas tartareis morbis præ aliis siccarum regionum
incolis, adeo ut scorbutum endemium salutent.

Præcipuum vero tartareis morbis materiam suggestunt
alimenta, CIBVS & POTVS. Audiamus Paracelsum libr. i. de
Tartaro: Tartarus veltartarum, *inquit*, est omne generatum ex
eo, quod comedimus & bibimus, habens in se mucilagino-
sum quiddam ex dissoluto frigido, & coagulatum per cali-
dum. Seu verbis Kozack l. c. p. 38. generatur tartarus ex ex-
crementis alimentorum balsamo cohærentibus. Hoc ipsum
vero liquor salis est Paracelso, quod balsamum naturæ
prædicat, qui sustentet corpus, ne putrefascat. Quando-
enim, ut id repetamus, sal hoc volatile magis in statu natu-
rali & sulphur probe & concinne sunt remixta, nec lymphæ
proportionem excedit, sed utraque decenter contemperat, fit
optima temperies, vis elastica ex combinatione singulorum
emergens, charactere sigillata vitali, optime habet & procedit,
& contra.

Fit hoc duplici nomine, partim ratione objecti, alimen-
torum ipsorum; partim ratione subjecti, ventriculi & reli-
quorum organorum. Quæcunque enim alimenta sunt
grossiora, magis terrestria, salsa, infumata, muriatica, mu-
cilaginea, tartarea uno verbo, illa chylum grossiorem, san-
guinem tartareum magis gignunt, & vicissim etiam optimi
cibi, visceribus robore suo non pollutibus, abeunt in hanc
classem, non sua sed caloris & menstrui culpa. De his Hip-
pocrates, corpora, *inquit*, impura, cacochymica, tum ventri-
culo inquinato & scatente impuritatibus biliosis, pituitosis,
acidis, tum ipsa massa sanguinea, quo magis nutriversis, eo
magis læseris, improprietate manifesta tunc conspicua &
succedente. Accedit modus assumendi incongruus, in quan-
titate, qualitate, utendi ordine & aliis delinquens, unde non
potest probe succedere chylificationis & depurationis opus

Pertinent huc ex oleribus brassica muriata, & legumina,
viscido tartareo succo turgida, & flatulenta gaudentia

yeia, pisces torrefacti, carnes mucosæ, & concoctu difficultes; lac item & omnia lacticinia, caseus, frixa, panes minus fermentati grossiores, mucidi, corrupti, ut & saccharata, mellita & dulcia inde alia, quæ cœnosum & lutosum reddunt sanguinem, unde facile obstrunctiones pariunt, ne dicamus de acido quod augent.

Ex Potvs genere maxime fovent & augent tartareum in corpore conceptum mucorem aquæ lutosæ, palustres, suorum, stagnantes, Coo laudatæ, maxime particulis heterogeneis fœtæ. Hinc cerevisias ex aquis lacustribus, paludosis & alkalifatis prorsus damnat *Paracelsus libr. de Tartaro.*

Vinum quidem moderate usurpatum cor lactificat hominis, sanitatemque integrum servat, senes solatur, unde lac senum dicitur; sed nisi selectus instituatur & concinnus usus, vinum maxime morbos tartareos nutrit, foget & educat, non solum recens, dulce, seculentum, mustum, sed & generosa illa, Hungarica, Austriaca, Rhenana, Bohemica, Gallica, & Hispanica, aliaque. Quo subtilius enim acidum habent & tartarum, eo penitus illum massæ sanguineæ inserviant; vt contra ea, quæ grossiorem in primis viis separant & dimittunt, respective minus gignunt vel calculum, vel podagra. Tale Jenense pronunciatur, a B. Rofinio l.c. Nullæ inquiet, inde noxæ, nec in mesenterio, nec pancreate, hepate vel liene, nec renibus aut vesica. Nulli in hac urbe calculi, nulli arthritici, nisi qui vini Francicis & Rhenanis palato magna cura litant, & majori cum obstinatione. Illa tamen cum grano salis sunt intelligenda, si enim excedas, & ab illo noxa præsto est, vt & arthritis ipsa, & præcipue affectus ischiadicus inde observetur apud nos in praxi ortus. Vtrobiqui, verbis D. Pres. Pathol. s. 2. c. 9. subtilior sulphurea & tartarea pars vini in sanguinem diditur, humoribus & visceribus nostram affricat, acor sensim irrepit & nervis inimicam vim infert.

De Motu elegans est Hippocratis sententia l. 1. de diet. c. 1. §. 13. Homo edens, seu aliqui bene habens, non potest esse

esse sanus, nisi etiam laboret seu moveatur. Socratis effatum dignissimum lectu, labore occupari ex usu hominis & bonum, & contra otiosum esse noxium & malum, operari bonum, otiari malum. Motus ergo & excedens & deficiens ad morbos tartareos struit viam. Sicut enim aquæ ni moveantur, corrumpuntur; ita eodem modo vappescit & lentescit sanguis, serumque ad obstrunctiones sat idoneum redditur in corpore humano.

Impedit motus lentorem cœnosum, superflua diffat recrementa, & sanguinem vividum servans διαγλωσσα tartarez frenum est. Videas hinc rusticorum corpora tanquam perpetuo mota minus hypochondriaco malo, calculo aut podagra infestata, cum tamen quieti deditos his affligi toto cernas die, adeo ut malum hypochondriacum familiarem litteratorum quidam statuant morbum, ob nimiam maxime corporis quietem, sub animi irquieto motu, & intermissione motus, & hinc obtorpente calore, humidoque stagnante magis. Interim & nimio motu, diffata plus justo lympha, & desuper potu hausto, ad coagula fit dispositio.

SOMNVM & VIGILIAS quoq; in morbis tartareis accersendis se fistere pararios certum est, quippe cum somni effectus morbos in spirituum & humorum torpore consistant præcipue, & hi maxime in prædictis morbis prædominium sortiantur, hinc somnus excedens, vel indecenti tempore & ordine citra causam initus concumulat excrementa, vt non solum utiles alimentarii humores restitent, sed & exrementitii. Somnus defectum motus dicit, quo posito calor quoque vividus esse definit, nec in poris, in cavitatibus promovendi humores, sisudorem excepero ex parte, gaudent illa propulsione debita.

VIGILÆ contra ea non minimam partem sibi vendicant causæ quatenus siccanda roscidum vaporosum partium nutrimentum, cœnosæ particularum tartarearum collectiōni & constipationi obstetricantur, vt taceamus mirum quantum

coctionem impediri & debiliorem inde reddi. Valet id maxime de lucubrationibus. Non enim vim suam habet ventriculus, ut eleganter scribit *Barclajus*, evocato ad laborantis cerebri subsidium igne. Ausim dicere, ait *D. Praeses noster in Patbol. secc. 2. cap. 9. p. 315.* vix tres hypochondriacos enormes offendи posse, (nec enim omnes affectus tartareos hic enarrare valemus) qui, si a labe hereditaria abeas, malum sibi non contraxerint vigiliis & somni defectu, sive noctes vigilatæ fuerint studiis & meditationibus, sive curis & mœrore, sive, quod æque malum est, inter *κυπελλομαχίαν*, seu pocula. De his vt causis *Cous 2. Apb. 3. & 7. 4. 71. Somnus, vigilia uiraque modum excedentia, malum.*

Quantum ANIMI PATHEMATA ad generationem morborum tartareorum faciant, toto apparet die, spiritus enim in aliis efferati, in aliis depresso & concentrati turbas massæ sanguineæ inferunt. Sic ira sulphur sanguinis exaltatum & refractum intimius cum scoriis tartareis nubit, & partibus extremitatis debilitatem infert, unde arthritidem invitat in dispositis. In aliis alia vitia, curæ, mœror & sollicitudines humeribus fixitatem & cūm inducunt, & ad obstruktiones ac coagula conferunt.

Prae aliis vero morborum tartareorum *γένεσιν* promovent causantque EXCRETA & RETENTA, sive illa sint fluida, sive solida. Recrementa chyli & sanguinis crassiora & tenuiora ordinarie egredi debent, sive id fiat per transpirationem insensibilem, sive per secessus ordinarios, quæ moram sortita totam turbant corporis œconomiam. Sic si partes terreæ, limosæ, tartareæ, salinæ, per urinam excerni solitæ, non separantur a massa sanguinea, affectum hypochondriacum, arthritidem, calculum creant. Icterus bilis evacuationem prohibitam sequitur. Alvi segnities, teste *Hippocrate*, omnia confundit, tormina inducit, ad minimum gravat naturam & fatigat, quippe particulæ tartareæ mora tali coacervantur, glandulasque obstruunt, & hinc mala quamplurima causant.

Tace-

Tacemus *Veneris* quoque defectum & excessum, quæ non uno modo concurrunt, dum in spiritus & humores non minimam exercent potestatem. Defectus fermenta peregrina generat, excessus partes debilitat, calorem depauperat, & cruditatibus tartareis ansam præbet.

Ex PRÆTERNATURALIVM CAVSARVM classe morbi alii quoque tum tartarei ipsi, tum minus tales quoque visi, tartareos producere affectus assolent. Sic quartana aut invenit scorbuticum, aut facit, instar omnium quasi. Si vel scorbutum, vel affectum hypochondriacum nominaverimus, vel soli sufficiunt ad reliquos producendos. Et ipsi inter se vel symbolismo quodam gaudent, arthritis, podagra, calculus prompte se generant & excipiunt invicem.

Relinquit quartana post se non raro, si diutius duret, scirrum lienis admodum rebellum, illuc considente materia tartarea, & in urina se prodente. Observavit id nuperrime D. Præf. in infante nondum tres annos nato, qui cum ultra annum laborasset quartana, quod ipsum etiam rarum est, jam a tribus vel quatuor mensibus sinistrum abdominis latus tumidum & scirrhosum tactu deprehendendum habet, liventibus exterius yenis.

Ita vero generati morbi tartarei non uno gradu & differentia se exerant, alii universales cum febri, ut quartana, & sine eadem, ut in ietero, alii medio modo, ut arthritis; alii incipientes magis, alii confirmati, & calce, nodis, calculis conspicui; alii connati, alii acquisiti, incipientes & confirmati, imo & οὐανοθυσκούες.

Uti etiam suis phænomenis privatis singuli sunt conspici, quod speciatim prosequi non opus est, ita non unum sortiuntur EVENTVM. Tartarus fluidus & resolutus naturæ minus adversus est, & magis subjugabilis, quatenus materia adhuc dissipabilis, & cum humoribus circulata, facilitiorem promittit curationem, dispositione prava nondum adeo fortiter visceribus impressa. Inveteratum vero malum,

quod radices egit firmiores, ob materię copiam & pertinaciam, nil bonę de se spei promittit, sed nisi validissimis medicamentis cedat, corpus reddit cacochymicum, facileque, si symptomata accedant alia, mortis accelerat gressum.

Quamdiu autem secretioni & propulsioni ad loca extrema natura studet, vel ipsa sibi vias quærat, invenitque commodas, actuatque medicamina sibi subministrata, melius sperandum. Contra ea quando ipsas vitales undas occupat penitus extra verti nescius amplius, sed quietem intentat, atqueum est de vitę spe, ut in podagricis confirmatis id occurrit non raro.

Idem dixero si diarrhoeę spontaneę accedant exque criticę, si per urinam copiosa saburra evacuetur, si per sudorem vel ἀδηλον διαπνοήν exspirent missmata morbifica, grossiora quoque; si per hæmorrhoides exitus commodior detur, si uno verbo sit subjugabilis, superior futura est natura, non abludente ætate aliisque, & contra. Accedens scirrus, hydrops confirmatus, arthritis vel podagra nodoſa, nil constantis auxilii vt plurimum promittere potest.

Quę vero plura dici possent de morborum tartareorum signis & prædictione, e specialibus illorum loculis potius haurienda fuerint, id quod in præsentiarum scopum nostrum transcendit. Sufficiat urinam solam adhuc nominasse, ex qua optime morbi tartarei explicari vel illustrari possunt. Et dupliquidem modo id valet, καὶ ἄρεται & κατὰ θέσιν. Videas urinam in morbis chronicis, cachexia, hydrope, affectu hypochondriaco, saepē plane aquosam, ipsi aquę fontanę similem, indicio non separari extra corporis pomœria tartarum probe, unde hydropis laudati futuri, imminentis apoplexię aliorumque malorum id argumentum est. Contra ea urina saturatior, turbida, crassa, turbata, ponderosa, tartareo excremento fœta in ictero, item in febribus cum primis, magno cum commodo prognoseos, futuri, & diagnoseos præsentis causę status, observatur,

CAPUT III.

De

Remediis morborum Tarta-
reorum.

Exploratis itaque viribus hostis hujus tartarei, præsidia nobis ut comparemus & lustremus pars est, quibus insidias illudere, injuriis structis obviam ire, & malum avertere queamus.

Fit id ipsum optime ad ductum fili Ariadnei, **METHODVM MEDENDI** puta, procedendo, quæ suggestit indicaciones debitas iisdem, secundum quas indicata seu materia medica impendi postulant.

Enimvero, ut alia mittamus, consultum & necessarium videtur sequentia attendere: 1. Turbans quodvis heterogeneum salino-terreum, seu intra vasa ferociat, seu hic illic ~~sunt~~ sortiatur, invertendum, revellendum corrigendum est.

2. Quicquid quietum est vel in fluidis vitalibus, alimentariis & excrementiis, tuto aetui, tum potentia, vel in cavitatibus & receptaculis, diluendum, resolvendum.

3. Viscera, culinæ & fermenta, ut σύγκρισις & διανοή sit utilium ab inutilibus, & præcaveatur morbos, roboranda sunt. Seu, si breviter id declaremus, tartari morbos, quantitas imminuenda, qualitas alteranda, motus moderandus est, idque ex fontibus præsidiorum ordinariis, secundum loculos suos spectandis.

Ex CHIRVRGICO VENÆSECTIO & morbis tartareis succurrat, sed cum discrimine, in tartaro resoluto, bilioso, calido, mobili, partim curative, partim præservative. Illud, ubi ad partes certas deponitur, ibique tyrannidem exercet, in hemicrania scorbutica, epilepsia, haemorrhagia narium, mensibus immodicis, apoplexia sanguineo-tartarea, arthritide cumprimis, febribus item, ubi cum plethora conjungitur

tur & ferocit. Ita evacuat & spumescientiam ejus refrænat, revellit, alterat, liberiorem motum sanguini fœnerat, ipsum ventilando. Hoc ad avertenda coagula & consequentem generationem in morbis calidis & irquietis, tempore verno & autumnali, in melancholia hypochondriaca, mania ipsa, arthritide laudata, & mensium præsertim ac hæmorrhoidum obstructione. Profunt hæc consentientibus reliquis, ætate, habitu corporis, temperamento, viribus &c.

Quadrat huc & CVCVRBITYLARVM usus, venæ sectionis vicarius, & insignis est, sed sub iisdem conditionibus, ad tollendam illam στον, quam tartarus partibus certis minatur. Sic pro præservatione a podagra maxime proficuum quibusdam æstimatur, ut in puncto plenilunii cucurbitulam in majori pedis affectæ digito applicare permittant; imo & in curatione aliquando, si non gravius incutiat malum, & in principio sit, idem audent.

HÆMORRHOIDVM apertionem serio quidam postulant, in primis in iis, quibus antea fluere consueverunt non sine levamine, vel saltim sanguinis ex iisdem hirudinum suæ detractionem, de quo legi meretur B. Rofincius ord. & meth. comment. p. 504 & seqq.

Nec inutile est, FRICTIONES quoque instituere, ut corpus eo rarius & alacrius ad exsequenda officia naturalia redditatur, & in motum suum afferantur effluvia & humores. Favent enim revera & transpirationi huic, & circulationi, eoque ipso inhibentur στον & coagula hinc inde alias futura.

FONTICVLI, dum biliosos & seroflos humores e corpore tam perenniter, quam sensibiliter ad se vocant & expellunt, non exiguum levamen in his affectibus exhibent, maxime ubi serosa, falsa, tartarea colluvies his illis partibus decubitu suo molesta est, ut in ophthalmia, doloribus capitum & alias, nec alia adhibita proficia deprehenduntur; ita tamen ut debitibus legibus artis hinc tractentur.

E PHARMACEVTICO penu, cum pluribus abundet medi-

medicamentis, iisque excellentissimis, eligenda veniunt, quæ humores secundum naturam mobiles, v. g. massam sanguineam, bilem & urinam, jam indispositos, & ob caloris nativi & particularum aetivarum defectum torpidos & otiosos magis, ob fixitatem, lentorem, coagulum & viscositatem male audientes, respiciunt, quod non uno nomine praestant.

Debentur tartareis morbis PURGANTIA, eaq; modo leniora, modo fortiora. Vtraq; enim viscedinem apprime disjiciunt, primas vias extricant, massam sanguineam defecant, unde redditur humoribus vitalibus & visceribus suus tonus Saltim apparant reliquis viam, & ipsa digestivis seu preparantibus indiga saxe prius; obicem item tollunt, ut reliqua praesertim alterare & juvare queant.

Vbicunque vero minor quantitas hujus farraginis est in corpore, & materia magis resolubilis, magis lenientibus operis est; ubi vero fixior, acidior, magis ch. unica, etiam fortioribus & heroicis est locus. Inter priora illa profuerint pilulae ~~variz~~, Quercetani, Bontii, Schröderi, ~~variz~~ & les sennae D. Presidis, & similes alia, ab hoc ipso usu insigni nomen indeptæ. Par ratio est senna Alexandrina, & babbarbari Alexandr. & ex iis paratorum, quæ blande saburram tartaream promovent, & ad exitum disponunt.

Inter haec, seu fortiora & media, gialapa & scammonium principem obtinent locum, imo & helleborata & colocynthiaca, & classica hinc usque recepta composita, pulvis laxata veget. Roflincii, Wedelii, ex gialapa cum ~~pro~~ resoluto remixta, pulvis catbol. Michael. additis oleis convenientibus, pulvis Comis. de Warwick rite praeparatus, extractum catbol. panchymag. pilule de gummatibus Sylvi, aliaque usu & experientia probata. Praestant vero saxe & infusa, ex purgantibus cum aperientibus mixtis, & potulenta alia, modo μετ' ασφαλείας, tuto, cum debitissimis cautelis & provide dentur.

Cumque medicus sit naturæ minister, illa vero & ad evacuationem per $\text{G}\ddot{\alpha}$ $\text{d}\ddot{\omega}$ non raro inclinet, data hac indicatione & VOMITORIA non sunt de nihilo, ad $\pi\epsilon\omega\lambda\gamma$ $\psi\epsilon\bar{u}\delta\text{G}$, liceat ita vocare, seu radicem, e præcordiis exterminandam, in primis si æger vomitum non aversetur, & humor sit $\text{a}\dot{\nu}\text{d}\dot{\rho}\text{p}\text{o}\text{t}\text{G}$.

Præstat vero, ut quædam saltim eligamus, rad. asari, quæ ob texturam particularum sui generis, crudis, viscidis, & acidis humoribus corrigendis debetur, vt veluti panacea a quibusdam habeatur, si in substantia cum anatica proportione crystall. P_i propinetur, additis gummi de Peru gr. iij. oo mac. gtt. i. iij. Alias utilissima sunt Θeli , $\text{P}_r\text{rus emeticus}$, $\xi\text{i}s$ vite , & ex vitrino $\xi\text{i}s$ seu croco metall. parata alia. Interim tamen minus commode, cum per $\text{G}\ddot{\alpha}$ $\text{n}\ddot{\omega}$ natura exitum molitur, eam ab operesuo sursum avocamus; convenientior enim & magis amicus inferior naturæ quam superior tubulus, nec cum tanto virium dispendio res peragitur.

Nec rejicienda sunt DIAPHORETICA blandiora, quæ optima & naturalissima morborum tartareorum sunt evacuantia, quippe salia acida in sanguine hærentia absorbent, & cum sero extra corpus eliminant. Talia sunt ex alcalinæ naturæ fixioribus terrea, $\text{O}i\text{um diaph. conch. ppt. CC. usum, lap. bez. uterque, bol. Armen. bezoard. mineral. &c. Ex volatilibus, & mediis, quæ torpidum seri motum promoteant, & naturam horrentur, vt discutiat noxium, poros aperiant & M. S. vigorent. Instar omnium sunt ~ CC. s. & succinat. viperar. ebor. M. S. & Ra bezoardica cum ~u $\Theta\text{i}s$ acuata, essent. lignor. simpl. & $\text{O}i\text{at.}$$

Welsch in *Dissert. de Ægagropilis*, p. 52. & 60. commendat ægagropilas, virtute sudorifera conspicuas, in pancreatis, mesenterii, hepatis & lienis obstructionibus, cachexia, ictero, affectu hypochondriaco. &c. Attendendum vero, ut præmissis purgantibus & vomitoriis propinentur, quo sic remotis prius crassioribus & viscosis diaphoretica residuum resti-

restitans commodius evacuent, nec pituitam seu serum a tartaro inquinatum & crassius magis coagulemus, humores turbemus, & impuritates sanguinis, quæ removeri debebant, augeamus.

Affinia & symbolica diaphoreticis sunt DIVRETICA, quæ insigniter serum corrigunt, partes tartareae, massam sanguineam & speciatim serum collutulantes, educunt, vnde & inter specifica bonam partem resolventia veniunt. Laudari sane merentur Ra aperitiv. Mæb. ♂rus Θatus, arcanum ♀ri, ♂us Θis, ♀ri volatilis, elix. nephrit. Ra ♀ri simpl. & compos. ♂us Θis d. Θri d. quem Sylvius tantopere estimat, ut & calculum in vesica resolvi inde posse speret.

Hæc ut universalia sunt & communia sic præsidia morborum tartareorum; ita SPECIFICA & νατ' εξοχὴν illis debita sunt APERIENTIA, quæ resolvunt coagulum salino tartareum, meatus obstructos referant, vt porum choledochum, vreteres, ductum pancreaticum, intestina, extergunt glandulas, vt pori magis hient, transpirationem & transcolationem impeditam felicius adjuvant. Intime hæc penetrant, absorbent acidum coagulationis principium, fixosque jam & corruptos humores fluidos reddunt, primaria hinc adjumenta in ictero, hydrope, cachexia, affectu hypochondriaco, calculo, scorbuto, paralyssi, febribus ipsis & aliis laudatis.

Talia verò sunt Rad. 5. aperient. maj. & minor. cichor. grac. min. pimpinell. trifol. fibr. Herb. absinth. agerat. calamenth. capilla. veneris, ceterach. cuscut. fumar. hepat. nobil. plantæ antiscorbuticæ omnes, cochlearia, nasturt. omne, ingu. cerv. beccabung. epithym. sinaps. costus arabicus, coreæ Winceranus. Ex præparatis ▽ a hepatis nobil. conserv. & ▽ cochlear. ▽ Θ dulcis, Θli, Θi, ♀ri, clyssus Θii ♀ens, ♀ea item omnia, crem. crystall. & Ra ♀ri, jam laudata, acsdum ♀ri gle, Θlum Θis, hepat. rubr. ▽ aperit. Penot. Pil. ♀ea, de ammon. effent. absinth. fumar. simpl. & compos. elix. prop. antiscorbut. Θli Mynf. ▽ Θli Θis, effent. & Θta.

Vitriolata hæc summis extollit laudibus Raimund. Mindererus, tractat de chalcantbo & p. 80. in Glo, inquit, latet eique inhæret plena, perfecta, absoluta, & consummata cura cachexiæ, iæteri, hypochondriaci affectus, lithiasis, calculi, arenarum. Instar omnium quoque sunt martialia, sicca & liquida, crocus ♂is aperitivus, pulveres cachectici cinnabarini, ♀ci, balsamici, roborantes, resolventes, inde parati. Ex liquidis celebrantur Re ♂is aperientes, cydoniata, antiscorb. Zwelfferi, duplicata, belleborata, per se & cum arcano ♀ri, & u ♀ri, mixtū simpl. remixta, ut & Ra ♂ balsamica, singulæ ex inventione & creberrimo usu D. Presidis probatæ, & pro diverso modulo indicantium variandæ, modo præmittendæ purgantibus, modo interpolandæ.

Neque his solis contenti esse possumus, sed & essentiæ & mixturæ hypochondriacæ, aquæ aperitivæ, decocta & infusa aperitiva, minori vel majori apparatu concinnanda. Imo huic repetenda quoque sunt specifica, seu determinata alia, lithontriptica, emmenagogæ, arthritica, febrifuga &c. quæ vel nominasse h. l. sufficiant.

Vbivis vero viscerum partiumque affectarum earum-
quætoni & roboris quoque ratio habenda est, tum per hæc,
tum per ALTERANTIA CONFORTANTIA alia; illa quippe
maximam partem tartareæ collutulationis vel sustinent,
vel fovent, vt eorundem nativa temperies si non plane
dejecta, saltim nimium quantum labefactata, id ex-
poscat. Cumque longum nimis foret omnes illos ex-
quirere loculos, aliunde huc referri & pro re nata applicari
possunt stomachica, hepatica, splenetica, cordialia, cephalicæ,
hysterica arthritica. &c.

Intactæ non dimittendæ sunt plane & THERMÆ & ACIDVLÆ, universalia illa tartareorum morborum plurimo-
rum, etiam alias quasi desperatorum, modo non coagulum
prædominetur, auxilia, clutriantia & defecantia penitus in-
accessa alioqui loca, simulque alterantia. Ex acidulis emi-
nent Egranæ, Swalbacenæ, Pyrmontanæ, nec minoris virtu-
tis

tis, leniores licet, Bibranz nostræ, quarto ab hac urbe lapide sitæ, indies plurium experimentorum successu nobilitatæ. Ex thermis Carolinæ, Emsenses, Wisbadenses, Aquisgrænenses & alia.

Agmen claudat decantatissimum Asiaticorum & jam Europæorum remedium, decoctum *Herba Theæ* puto. Summis hæc a recentioribus extollitur encomiis, adeo, ut vix ulla planta tantis hoc vsu condecorata fuerit præconiis, & instar panaceæ dilaudetur, quæ morborum in primis tartareorum turbæ quasi aliquod Medusæ caput objici possit. Habet tamen & illa, quod desiderent viri docti in applausu tam decantato. Audiamus excellentissimum D. Doleum in Epistol. ad Waldschmid. p. 16. Suspectus mihi, inquit, potus ille frequens ob nimiam aquæ quantitatem. Rationes verò allegat plures, & addit: si ratio non placet, en experientiam nostram, multos enim novimus singulis horis matutinis & vespertinis eo potu abusos mortuos esse hydrope, alias lienteria, ictero, affetu hypochondriaco, catarrhis &c. Melius afferit item substitui herbam veronicæ & betonicæ, quibus vis illa potros aperiens & ad sudorem quendam disponens major ineft. Tacemus symptomatibus urgentibus debita, opiate maxime, & alia.

Tandem & DIÆTA delibanda est; cujus non minimum momentum est ad arcendos morbos tartareos. Ex VITALI AER, ubi insalubribus scatet atomis, vitandus, & si in eo æger constitutus, mutandus. Commendandus purus, lucidus, temperatus, serenus, vitandus crassus, nebulosus, frigidus paludosus.

Ex NATURALI CIBVS & POTVS naturæ sint convenientes, quantitate, qualitate, tempore, ordine, & aliis regulis. Videntur, vel parcus saltim in usum veniant mucilaginosa, infumata, muriata, grossa ex piscium, carnium, frumentorum & aliorum genere, superius tacta. In omnibus teneatur mo-

dus, dulcibus, acidis, falsis. Vitentur potus aquarum muco-
farum, glaciatarum, stagnantium, & ebrietas cane pejus & an-
gue. Vini moderatus usus non nocet, modo non excedas,
neque obstant dolorum faces, vel alia contraindicantia. Eli-
gantur melioris notæ vina, Rhenanum, Neccarinum, Mosel-
lanum, & Franconicum, quæ mentem exhilarant, coctionem
juvant, obstructiones tollunt, flatus discutiunt, crassos hu-
mores aliasque cruditates corporis attenuant, incident, co-
quunt, discutiunt. Cerevisia sit bene defecata, non nimis
recens, nec vetusta nimis, cum aqua laudabili cocta, lupulo-
que bene condita. Si libet medicari eandem, scolopendrium,
absinthium, fumaria, caryophyllata, scordium, ex usu sunt.

Ex ANIMALI Motus sit moderatus & tempestivus, ne-
que peccet in defectu, neque in excessu, magis tamen ante
cœnam & prandium instituatur, quo sic calor excitatus pro
meliori coctione capax se sistat. Post pastum minus conve-
nit, quatenus coctionem turbat, chylum adhuc crudum nec
perfecte elaboratum in vasa præcipitat, obstructions mesen-
terii aliorumque viscerum & plura mala corpori inducit.
Mediocritatis leges observandæ veniunt & in QUIETE, ut
corpus laboribus defatigatum recreetur, nec tamen nimis
indulgeamus, quo torporem & languorem eidem concilie-
mus. Vere Poëta:

*Otia corpus atunt, animus quoque pascitur illis,
Immodicus contra carpit utrumque labor.*

SOMNVS & VIGILIAE invicem alternent, semper tamen
cavendum τὸ πελῦ, non vigiles ducendæ noctes corpusque
somno defraudandum est, nec somno nimis indulgendum,
sed proportio semper servanda.

AN·MI PATHEMATA justis regantur habenis, recreetur
mens gaudio moderato, jucundis conversationibus, aliisque
licitis hilaritatibus. Proficuum etiam est quandoque suavibus
interesse modulationibus & concentibus musicis; arceantur
contra

contra ea quæ animum distrahunt & gravius afficiunt; relegandi mœrores, curæ & sollicitudines supervacuæ; caveatur a profundis cogitationibus, lucubrationibusque in noctem protractis, utroque nomine.

EXCRETA & RETENTA ad naturæ normam respondeant, hemorrhoidum mensiumque fluxus nunquam, nisi aliud quod indicans urgeat, otiosus relinquendus. Alitus servetur aperta & ad pondus ingestorum tractetur; si forsan ad obstructionem inclinet, officii sui admoneatur, pilulis aloeticis usitatis, aliisque lenientibus.

VENERIS uetus suis cancellis contineatur, nec excedat, nec deficiat. Ita Henr. Petreus nosolog. harmon. Tom. II. Disp. 38. p. 288. refert ex Danis fide dignis, veneris exercitio, scorbutum curari, quod non est de nihilo, si ex hoc fonte malum scaturiat, vel exacerbetur.

DEO LAVS, HONOR ET GLORIA.

AUfis applaudo, post bella corona sequetur,
Qua Tibi Salanus cinget Apollo caput.

*Magni Parentis filio haud degeneri
bac gratulabundus deprop.*

RUDOLFVS GUILIELMVS CRAVSIUS, D.P.P.
Hagae

Hactenus impigre Phœbeia castra secutum,
Murice nunc dignum tartarus ipse docet.
Hanc fluidi pestem vitalis pellere gnaro
Alter honor cornu divite plenus erit.

ita

Aὐλοχεδίως, Nobiliss. Dr. Doctorando affectum
sincerum testatur Optima quaque ominatus

PRÆSES

En Patris, Astrææ in campo permulta merentis,
Gnatum prædives plus Hygiea juvat!
Diffimilis Patri Culcor; Sed cedere virtus
Nescia, progeniem baud degenerasse facit:
Mandans in campum castris prodire relicta,
Et sibi Musarum bella ciere noua.
Cæptis applaudo, precor, ut victoria cedat
In laudes dignas, in patriumque decus.

Nobiliss. & Clariss. Dno. Doctorando
Fautorí suo honoratissimo scrib.

JO.HADRIANUS SLEVOGTIUS,D.&P.P.

MULLERE Astrææ felix & summe sacerdos
Quem secli Baldum splendida jura vocant!
Aspice maturet quæjam TIBI gaudia messis
Quantaque lætitiaz ditet arista manum.
Ceu TUA cum Nato crevit nitidissima virtus,
Sic in Nato etiam dulcia grana gerit.
Quasque tuus Phœbi segetes Ludovicus in arvis
Colligit, has tribuit provida Jena Tibi.
Maturent plures posthac tua tempora fruges
Horrea dum fama plena & honoris erunt!

Sic felicissimo Genitori de felici virtutum pater-
narum hærede, affectu piæntissimo gratulatur
NOMINIS MULLERIANI Cultor devotissimus

JO. CHRISTOPH. BENDEL D.

